



Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLXXI. De Divite Epulone, & Lazaro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

an justè, an injustè agat , modò providè agat; han autem Prudentiam , simul cum Justitia jungendam docuit Christus imitandam esse à Filijs Lucis , qui propter suam avaritiam & immisericordiam reprehendebat ; ut nimirum, non quidem post redditationem Villicationis (quia tunc nimis serò id fieri sed dum tempus est , de Mammona iniquitatis, id est de bonis suis, vel iniquè acquisitis, vel ad iniquitatē & peccata servientibus , Eleemosynas Pauperibus elargirentur : ut intuitu earum Devs conferret Auxilia Efficacia Pænitentiæ Justificantis. Sjc enim ad hæc obtainenda pauperes illi , quorum miseria sublevatur, adiumento sunt ; & ideo ipsi quodammodo dicuntur, suos Benefactores recipere ad Æterna Tabernacula. Si autem Eleemosyna , aut aliud opus Misericordiæ corporalis , sive corpori Proximi praeditum , tam utile & efficax est ad impetranda Media Justificationis ; quanto magis erunt opera Misericordiæ Spiritualis , Vivis vel Defunctis præstitæ? Et Villico iniquitatis profuit iniusta debitorum Domini sui remissio ; quanto magis proderit , si remittamus debitoribus nostris, ad hoc , ut & ipse Devs dimittat nobis debita nostra ?

M E D I T A T I O CCCLXXI.

De Divite Epulone , & Lazaro.

Luc. 16. v. 19.

PUNCTUM I. *Homo quidam erat Dives , qui inducatur Purpurā & Byssō , & epulabatur quotidie splendide. Erat quidam Mendicus , nomine Lazarus , qui jacebat ianuas*

januam ejus, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ caderant de mensa Divitii, & nemo illi dabant: sed & canes veniebant, & lingebant ulcera eius. Factum est autem, ut moreretur Mendicus, & portaretur ab Angelis in Sinum Abraham (id est, ad Limbum Patrum) Mortuus est autem & Dives, & sepultus est in Inferno. Luc. 16. v. 19. In hac Historia, modo Parabolico & Allegorico à Christo recensitâ, ut avaros Judæos ad Misericordiam iterum, sicut in præcedenti Parabola, pelliceret, considera miserum statum eorum, qui in hac vita voluptatibus, & prosperitatibus fruuntur; & felicem eorum, qui Paupertate, Doloribus, & Contemptu premuntur. Illorum enim gaudia sunt momentanea, & supplicia æterna; istorum verò adversa sunt similiter momentanea, & Gaudia Æterna. Hanc mutationem Mors velocissima, & ideo infelicissima; vel Felicissima adducit. Vide ergo, ut prudenter eligas.

PUNCT. II. *Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit (oculis mentis) Abraham à longè, & Lazarum in Sinu ejus. v. 23.* Nimis serò oculi elevantur in tormentis; hinc potius oculi jam nunc avertendi sunt à vanitate & voluptate hujus Mundi, & elevandi in Cælum ad Cælestia Gaudia procuranda, ne veniamus ad tormenta. Considera etiam, quantum hoc sit futurum tormentum Damnatorum, videre & scire, tam multos Cælestibus Gaudijs perfrui, se autem ab illis elongatos, & in tormentis positos ob voluptatem jam præteritâ, & brevissimo tempore perceptâ, vel ob adversitatem aut molestiam brevissimam refusatâ, gravissima quæq; pati. Atque hoc tormentum, quod pæna Damni vocatur, longè gravius est, quam omnis pæna Sensus; videre scilicet magnitudinem &

Y 5

æter-

346 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum,*
æternitatem Doni amissi, facilitatem & efficaciam
neglectorum Mediorum illud obtainendi, vilitatem &
brevitatem boni, per peccatum mortale quæfici.

PUNCT. III. *Et ipse clamans (id est, vehementissimè desiderans) dixit: Pater Abraham, miserere mei, mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*

24. Hæc, quia nec Anima Lazari, nec Anima Epulonis corporibus suis erant unitæ, Parabolice & Allegoricè dicta sunt: iisque significatur, Animam Epulonis vehementissimè desiderasse quodvis levissimum doloris sui lenimen, & levamentum, quod sperabat miseratione Lazari sibi præstandum; erga quem tam ille fuerat paulò antè tam immisericors, quamvis & ipse esset Filius Abraham, atque adeò ab eodè Progenitore, à quo Dives Epulo, descenderet. Post Resuscitationem corporum autem, de vero ardore linguae ac sitis prædicta verba intelligi possunt. Considera itaque gravissimam pœnam Sensus, quæ priùs in sola Anima, deinde etiam in corpore post Resurrectionem Mortuorum sustinenda erit: & quomodo vel maximè pœnæ conformentur peccatis, ut, per quæ quis peccavit, per eadem puniatur. Quia nempe Dives quotidie epulabatur splendide, oblectans linguam, & immisericors erat erga Lazarum; ideo torquetur maximè in lingua; & cui micas etiam de Men-

sa sua cadentes negabat, ab hoc jam nec guttam aquæ impletat.



MEDI.